



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Paulus quomodo docuerit fidem Christi. tit. 35

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

quia docet, quod fides ante omnia opera iustificet & saluet. Vult habere remissionem peccatorum ante pœnitentiam, quia sola fides ante omnia opera iustificat, &c. Sed Christus dicit Marc. primo: Pœnitentiæ & credite Euangelio.

Primo loco ponit, Pœnitentiæ &c. Et Christus Mat. 25, inquit: Venite, possidete regnum patris mei, &c, quia esuriui, & dedistis mihi manducare. Ergo fides est præstatio operis, ad datam fidem pertinentis.

At dices: Hoc est homines trahere ad opera, ut per præstationem fidei, id est, per opera cœlum mercantur, sed sola & nuda fides iustificat & saluat. Respondeo: Christus docet nos Luc. 17. quod cum omnia fecerimus, adhuc nos reputari seruos inutiles, adhuc est gratia, & gratis donatur nobis beneficium Christi. Nam non sunt condignæ passiones huius temporis, Roman. octauo: Catholici gratis adhuc sciunt sibi contingi promissiones, cum opera iam fecerint. At scilicet sic gratis volunt omnia habere sine facto operum, & sic opera sunt media, & non merita.

Subinde haec verba, Nuda fides, Sola fides, ignorat scriptura, & est inuentum sectariorum. Catholica Ecclesia quoties de fide loquitur, non excludit charitatem & opera: & quoties de operibus loquitur, non excludit fidem. Ideo quod sectæ diuidunt fidem à dilectionis operibus, hoc faciunt sine scriptura, &c. Ideo non sunt audiendi. Ex prædictis liquet, quam sit deceptorie dictum, Fides sola & nuda ante omnia opera iustificat & saluat: differunt haec, credulitas, & fides, & fiducia: Primum est acceptatio ad fidem: Alterum, præstatio fidei: Tertium, fiducia re munerationis.

*PAVLVS QUOMODO DO-  
cuerit fidem Christi.*

TITVLVS XXXV.

Ii 5 Primò



RIMÒ, aduersarij quotquot sunt, o-  
mnes volunt eò Paulum trahere, quòd  
intētio sua sit, quòd sola & nuda fides  
in Christum, sine addito operum, iusti-  
ficet & saluet, & omnino sit inimica bo-  
norum operum, quasi ea nihil faciant ad salutem &  
iustificationem, &c. & vbiunque de fide loquitur,  
ipsi addunt dictionem solam & nudam. Pro quo no-  
rādum, quòd tria de fide docet Paulus: Primo, quòd  
fides in Christum sit causa misericordiæ, quòd Deus  
peccatorēm recipit, si dolet de peccatis suis. Secun-  
dò, quòd fides Christi non destruit legem, vel solae-  
se vult absque operibus, immò statuit & exigit legem  
id est, opera pietatis, fides. Tertio, quòd hęc fides qui-  
est efficax per charitatē, id est, opera bona, haber ma-  
gnam remunerationem in cœlo, etiam iuxta gradus  
& differentiam operum &c.

Primo, opinio Iudæorum est, quòd Deus nostri mi-  
seretur propter opera legis, id est, quòd obserua-  
tiones operum legis decalogi sint causa mouens Deum  
ad miserandum, quòd peccata dimittat & saluet, &  
probant hoc ex Leuitico 18. vbi dicitur, Ego Domi-  
nus Deus yester. Custodite leges meas atque iudicia.  
Et si feceritis illa, viuetis in eis. Et Deuter. 28. Si au-  
dieris vocem Domini, ut facias omnia mandata eius  
quæ ego præcipio tibi, venient super te omnes bene-  
ditiones, &c. Immò & in multis libris & locis dicit  
Deus: Si præcepta mea seruaueris, ero Deus tuus &c.  
Ideò Iudæi hodiè perseverant in tali opinione, quòd  
obseruatio præceptorum Dei, sit causa misericordiæ,  
remissionis peccatorum, & salutis: & sic opera faciunt  
iustum, probum & saluum.

Contra illam Iudaicam opinionem vbiq; pugnat  
Paulus & omnes Apostoli. Et sic Roman. 3. dicit con-  
tra Iudæos Paulus: Arbitramur, id est, sic existima-  
mus, quèd homo iustificatur fide, id est, Christo,

abs  
mit  
sit  
euc  
est  
del  
leg  
tot  
ind  
mi  
sup  
ctin  
no  
hae  
obi  
ti,  
seq  
pra  
tat  
S  
ope  
ten  
re c  
sus  
qui  
qui  
tio  
Ab  
mu  
&  
mu  
de  
de  
tù  
gu  
qu

absq; operibus legis, id est, quòd fides hæc est causa misericordiæ, & nō opera legis. Nam ideò Deus misit filium suum in mūdum, vt nos si crediderimus in eum, propter ipsum acciperemus misericordiam, id est, remissionem, justificationem & salutem. Si enim deberemus iustificari & saluari propter obseruantia legis, & nemo seruat legem, Ioann. 7. ex toto corde & tota anima, quis posset consequi misericordiā? Subinde Paulus docet, quòd fides in Christum sit causa misericordiæ, & hoc probat, quod Deus pater posuit supra eum omnia peccata nostra, Esaï. 53. vt esset victimæ pro peccatis nostris, vt sic satisficeret Deo, & nobis Deus iterum foret reconciliatus, Rom. 5. Ergò hæc effusio sanguinis & mors Christi, plus est, quam obseruatio decalogi. Per hoc igitur in fide sumus certi, quia Christus mortuus est, quòd ppiter ipsum cōsequimur gratiam, & sic fides est causa quòd acceptamur in filios, Ioan. 1. & hæreditas regni promittatur sed nondūm re illa habemus.

Secundò, loquitur de fide Paulus, quòd illa exigit opera legis, id est, obedientiam decalogi. Non est intentio Pauli, quòd hæc fides in Christū incepit ante omnia opera, vel q̄ sola aut nuda iustificet, saluet, sufficiens sit, absq; sequela & addito operū. Ideò inquit Rom. 3. Destruimus legem per fidem? id est, noliquid est nostra intentio, quòd sola illa nuda cogitatio fidei, absq; operibus decalogi, iustificet & saluer? Absit, immò legem statuimus per fidem, id est, nolumus fidem esse solam & nudam, absq; omni sequela & additione operum, sed exigimus & omnino volamus: Nam hæc obedientia decalogi est præstatio fidei, id est, opus, declaratio & officium fidei. Nam fides non est vana cogitatio, neq; in verbis cōsistit tantum, sed in operibus. Hoc fac quod eredis, inquit Augustinus, & fides est. Credis quantumcunque velis, quòd Deus propter CHRISTVM tibi remittat peccata:

cata: nisi etiam pœnitueris, vana est fides, Mar. i. Ipsa pœnitentia & dolor cordis est fides. Ipsa obseruantur præceptorum est fides. Non separares fidem ab operibus, sed ex duobus illis, id est, cogitatione cordis & facto operis, est fides vera & integra. Cor primum cogitatione in Deum eleuatur, & opus ostendit illam cogitationem esse veram, & hæc duo integrat fidem. Sola igitur & nuda fidei cogitatio, non est vera & perfecta ac integra fides. Ideo Paulus non abiicit opera per fidem aut cogitationem illam nudam, sed statim & exigit, &cæt. Et Christus Matth. 7. reiicit illam nudam & solam fidem: Non omnis, inquit, qui dicit me, Domine Domine, &cæt.

Insuper decalogi opera ante fidem Christi facta dicuntur opera legis: sed ex fide aut post fidem Christi facta, dicuntur opera gratiæ & fidei. Et illa nolumus distingui. At dicunt, Non negamus fidei opera, id est, quæ sequi debent, sed in alium finē fieri debent, præter opinionē iustificationis & salutis. Respond. Prophetæ dicit Psal. 115. Credidi, propter quod loquutus sum. Quis enim facit opus aliquod, qui prius non credat in Deum? Cur oro, jeiuno, &cæt? Nemo negat fidem præcedere opera, sed tamen oportet quod hæc fides sit grauida operibus, & nihil præter tempus expectans opera bona faciendi. Inquires, nihil actum & opus iustificationis & salutis faciunt, id est, efficiunt actualiter, sed sola fides. Respond. Nec hoc verum est, id est, fides mea, nec opera mea me iustificant, sed sola Dei misericordia effectuè remittit peccata & saluat, Psalm. 63. gratiam, remissionem peccatorum, & gloriam salutis dabit Dominus. Si fides mea intraret actum iustificationis, gratia sola me non iustificaret. Ideo docenius quod fides & opera media sunt, quæ apprehendunt à Deo iustificationem, sed ipsa non sunt, quæ iustificant. Ad opus ergo hoc scilicet, quod apprehendatur iustificatione & salus, utrumq; necessaria sunt.

necessarium est, & fides & opera, id est, pœnitentia & fides, Marc. 1.

Deus est, qui iustificat effectuè per fidem, id est, medium fidei, Romanor. 1. dat salutem per opera misericordiae, Matth. 25. & possessionem tanquam per media, sed ipse solus Deus, sua misericordia & gratia iustificat & saluat. Nuda ergo fides sine pœnitentia cordis non apprehendit iustificationem. Neque ergo fidei nudæ, neque operibus nudis tribuitur iustificatione, sed Deo soli, Romanor. 8. Deus est qui iustificat, Fides vero & opera apprehendunt & retinent iustificationem.

Tertiò docet Paulus, quod hæc fides, que dilectionem operatur, habet sua præmia in hac & post hanc vitam: & maximè in cœlo, sicut dicit Christus Matt. 5. Merces vestra copiosa est in cœlo. Ideò si volumus loqui de exactione & rigore meriti, ubi meritum & precium sunt æqualia: sic nemo meretur cœlum, solum Christus semel hoc fecit. Hebreor 9. Semel intravit sancta & cœlum. Solum hoc unicum est meritum, sufficiens atque debitum, ut dicitur, vita æterna: id est, Christi. Nobis vero distribuitur ex gratia & dono hoc meritum Christi, Romanor. 6. Gratia donum, vita æterna propter Dominum nostrum Iesum Christum. Ex gratia igitur, per hæc media, fidem & opera distribuitur salus. Et cuique iuxta gradus operum suorum, I. Corin. 3. & 15. differt stella à stella. Unicum est meritum Christi, quo ipse meruit omnia. Non sunt plura merita talia, sed hoc unicum meritum distribuitur diuersimodè, nunquam tamen potest euacuari, sicut est unicus Sol, inquit Cyprian. lib. 4. Epistolarum, Epistol. 7. qui omnibus lucet ex aequo, Domino ut seruo, viro ut mulieri: sed tamen in yisu vel augetur aut diminuitur, unus enim scit melius vti sole quam alius, sic quoque salus hominis ex merito Christi vel augetur vel minuitur. Sic est unum meritum

ritum Christi, ex æquo pro omnibus promeritum:  
At tamē vñus plūs gratus est altero, & eo melius vñ-  
tur in maius commodum. Et ideo ex illo vnicome  
rito Christi plūs vel minūs de præmio & gaudiori  
cipit corporaliter & spiritualiter, hīc & in futura vñ-  
ta.

**DE FIDE PETRI, VEL**  
*Romanæ Ecclesiæ.*

**TITVLVS XXXVI.**

**T**RIA sunt notanda. Primò, quòd sola fides Petri aut Romanæ Ecclesiæ, clivis, quæ saluat, & nulla alia in toto mundo. Secundò, quòd nulla fides cuiuscunq; etiam se st̄e sic in vniuerso mundo denunciatur sicut fides Petri & Romanæ Ecclesiæ. Tertiò, quòd licet fides Petri & Romanæ Ecclesiæ turbabitur, non tamen vincetur aut extinguetur ante iudicium futurum, à nulla potentia Tyrannorum aut malitia hæreticorum.

Primò, hæc fides Petri, Tu es Christus filius Dei viui, Matt. 16. est sola vera fides in toto mundo. Nam pro illa sola orat Christus ne deficiat Lu 22. Si enim non esset vera, Christus nō rogāisset pro illa: Nec beatificāisset Petrum & omnes hoc credentes. Nā inquit Christus Matth. 16. Beatus es Simon Bar Iona &c. Secundò est vera, quia pater eam reuelauit, Mat. 17. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, Mat. 4. Non ergo ex indoctis fabulis, est hæc fides, inquit Apostolus Petrus, 2. Pet. 1. Ipsi nos audiuiimus hanc vocē de celo delapsam: Tu es filius meus, &c. Etiam habemus Propheticum sermonem Psalm. 2. Filius meus es tu, ego hodiè genui te, &c. Si enim non esset vera hæc fides, pater non eam reuelāsset. Non excusantur ergo Iudei & Gentes Christum contemnentes, 1. Corin. 1. Nos prædicamus Christum, &c.

Secun.